

175. Hymno absoluto, Acolythy dicunt simul Versiculum, quod pariter fit in Commemorationibus, si locum habeant. In festis primae classis, in nonnullis Provinciis Antiphona ad *Benedictus* et ad *Magnificat* a duobus Acolythis simul dicitur, Antiphonae vero Commemorationum a solo primo Acolycho dicuntur<sup>1</sup>.

176. Ad Primam, post Hymnum, primus Acolythus inchoat Antiphonam, ac Psalmis absolutis, Antiphonam repetit; dictoque Capitulo ab Hebdomadario, Acolythy dicunt simul Responsorium breve, Choro repetente. Ante  $\psi$ . *Pretiosa*, prior Acolythus legit Martyrologium eo modo et ordine ut infra dicitur num. 216 et seq. Post Orationem *Dirigere et sanctificare*, inclinatus petit benedictionem dicens: *Iube domne benedicere*, qua obtenta erectus recitat Lectionem brevem ad absolutionem Capituli.

177. Ad Tertiam, Sextam et Nonam, post Hymnum primus Acolythus inchoat Antiphonam, et post Psalmos eandem repetit; dictoque Capitulo ab Hebdomadario, Acolythy simul dicunt Responsorium breve et Versiculum, Choro repetente ac respondente.

178. Ad Vesperas servantur, quae de Laudibus n. 174 praescripta sunt. Primus Acolythus, quando dicitur Hymnus *Iste Confessor*, si mutandus sit tertius versiculus, advertat Chorum percutiendo dextera manu aut vertibulo Psalterium vel Breviarium, cum dictus Hymnus incoeperit, ut omnes Chorales uniformiter illum dicant vel canant. Idem pariter fiet, quoties Hymni habent peculiarem conclusionem.

<sup>1</sup> Hic usus, ubi erit, tolerari potest.

179. Ad Completorium primus Acolythus (dato a Superiore signo) absolute incipit iunctis manibus: *Iube domne benedicere*, et responso ab Hebdomadario *Noctem quietam* etc. et a Choro *Amen*, erectus dicit: *Fratres sobrii estote* etc. Dicto *Alleluia* vel *Laus tibi Domine* post *Deus in adiutorium*, Acolythus primus subdit *Miserere* vel *Alleluia*; et primus Chorus inchoat Psalmum, quem Chorus uterque alternatim prosequitur de more.

180. Psalmis expletis, repetita integra Antiphona a Choralibus, Acolythy pronuntiant simul Responsorium breve, postquam Hebdomadarius Capitulum dixerit, et statim primus Acolythus Antiphonam *Salva nos* incipit, quae a Choro iteratur ex integro post *Nunc dimittis*.

181. His expletis, a legili ambo Acolythy recedunt, praemissis solitis inclinationibus.

182. Notandum, quod si Officium sit de simplici aut de Feria, Invitorium, Versus et Responsorialia breviter dicuntur a solo primo Acolycho, Antiphonae vero alternatim.

## CAPUT II.

### DE HORA PERSOLVENDI DIVINUM OFFICIUM.

183. Matutinum ordinario in Choro vel de nocte vel mane dicendum est: hora notata in tabula pro anticipatione Matutini sequentis diei valet tantum pro recitatione privata, non vero pro choralis. Excipiuntur



autem a lege communi Triduum Mortis Domini, et Octava Corporis Christi, si Officium recitetur exposito SS<sup>m</sup>o Sacramento, prouti apud nos eadem ratione Octava Immac. Conceptionis B. M. V.

184. Privata recitatio Matutini cum Laudibus diei subsequentis incipi potest, quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum <sup>1</sup>, qua hora iuxta omnium consensum incipit sequens dies ecclesiasticus.

185. Horae parvae tempore ab Ecclesia assignato dicendae sunt (nisi obstet rationabilis causa): Prima et Tertia ante Missam conventualem, Sexta et Nona vero ante prandium aut saltem post Missam conventualem.

186. Vesperae post meridiem hora competenti dicendae sunt, excepto tempore Quadragesimae, quo incipiendo a primo Sabbato dicuntur ante comestionem, id est ante meridiem, tam in festis quam in Feriis, exceptis Dominicis, nunquam autem ante Missam conventualem aut concionem, si habenda sit.

187. Similiter si ibidem expositio SS. Sacramenti pro Oratione XL Horarum et repositio occurrat quadragesimali tempore, Vesperae in Choro recitandae omnino sunt non ante, sed post functionem expositionis ac repositionis, licet haec terminetur post meridiem; et quamvis post Nonam celebretur Missa ferialis (ad quam stricte non tenemur), non potest huic adiungi in casu recitatio Vesperarum <sup>2</sup>.

188. Completorium ordinario dicendum est sero, et licet uniri possit cum Vesperis, nunquam tamen

<sup>1</sup> S. Rit. C. 16 Martii 1876, in una de Zacathecas.

<sup>2</sup> Vid. Martinucci, Man. Sac. Caerem. I. II, c. 38, n. 106, in nota a, I. edit.

dici potest ante meridiem. — Praecepto gravi recitandi Officium privatim satisfacit, qui Officium intra diem naturalem recitat. — Pro recitatione Officii divini, tam privata quam choralis, standum est publicis horologiis, licet haec tempus verum non signent sed medium, et quidem licet signent tempus medium non proprii meridiani. Ecclesia enim in temporis designatione pro ecclesiasticis officiis et functionibus eam regulam sequitur, quae omnium hominum negotia in singulis horis publice dirigit <sup>1</sup>.

### CAPUT III.

#### DE HORIS CANONICIS IN PARTICULARI.

##### § I. — De Matutino et Laudibus.

189. Sancta et laudabilis consuetudo media nocte surgendi ad divinas laudes cantandas, olim omnibus religiosis Coetibus communis, in nostra Congregatione usque in hodiernam diem generatim conservata est, et ut pro posse denuo restituatur, ubi in desuetudinem abiit, novissimum Capitulum generale sapientissime decrevit.

190. Hora statuta Fratres a somno excitentur, quo facto sub silentio Chorum petant, ad laudem Dei se praeparent et initium divini Officii exspectent. Interim luminaria ab Acolytho aut Fratrem ad hoc designato a Superiore, accendantur in Choro.

<sup>1</sup> S. Poenitent. 18 Junii 1873; et S. Rit. C. 7 Aug. 1875, in Clodien. ad 99.



191. Sub ultimo campanae pulsu ad signum Superioris, omnes surgant et ad invicem conversi dicant secreto *Pater, Ave et Credo*; hinc Hebdomadarius debita cum gravitate et devotione praecinit: *Domine labia mea* etc., et *Deus in adiutorium meum* etc.; toto respondente Choro: *Et os meum* etc., et *Domine ad adiuvandam* etc.

192. Postea Acolythis, ut dictum est, alta voce cum debitis pausis dicunt Invitatorium, idem repetente Choro, et deinde Psalmum *Venite exultemus*, servatis omnibus iam notatis.

193. Dicto a Choro Hymno, primus Acolythus primam Antiphonam pronuntiat, servatis servandis, ut supra, et statim Superior primi Chori primum Psalmum incipit.

194. Antiphonae (ut dictum est) alternantur ab Acolythis, Psalmi ab utroque Choro, et post ultimum Nocturni Psalmum, repetita ab uno Acolythorum Antiphona, ab utrisque simul dicatur Versiculus, cui omnes respondent. Et haec omnia etiam in secundo et tertio Nocturno servanda sunt.

195. Dictis *Pater noster*, absolutionibus ac benedictionibus de more, Chorus sedet ad Lectiones dum iuxta notata n. 171 et 172 leguntur ab Acolythis in primo et secundo Nocturno. Ad Lectiones tertii Nocturni vero sedent tantum post textum Evangelii, dicto ab Hebdomadario *Et reliqua*.

196. Tituli Lectionum, v. g. *De Epistola B. Pauli Apostoli ad Romanos, Sermo S. Bernardi Abbatis, Lectio s. Evangelii secundum Ioannem, et Et reliqua, Homilia S. Ambrosii Episcopi*, etc., voce submissa, sed clara et intelligibili leguntur, Lectiones vero alta voce.

197. Si dicendum sit *Te Deum*, Hebdomadarius in fine nonae Lectionis voce aliquantum altiori dicit *Tu autem Domine* etc., et responso a Choro eadem voce *Deo gratias*, fortiori et graviori voce, antequam a legili discedat, intonat *Te Deum laudamus*.

198. Finito Hymno *Te Deum* aut nono Responsorio, Hebdomadarius statim intonat Laudes cantando *Deus in adiutorium meum* etc.; post *Alleluia* vel *Laus tibi Domine* etc., ab Acolythis et Choro more solito dicuntur alternatim Antiphonae et Psalmi.

199. Dicto ab Hebdomadario Capitulo et a Choro responso *Deo gratias*, recitatur Hymnus; quo finito ab utroque Acolythis dicitur Versus, et postquam Chorus responderit, Antiphona ad *Benedictus* a primo Acolythis, quae postea ab eodem Acolythis repetitur. Oratio dicitur ab Hebdomadario, facie conversa Altari, caeteris ad invicem conversis et profunde inclinatis.

200. Si faciendae sint Commemorationes, dicit earum Antiphonas solus primus Acolythus; Versiculos vero dicunt ambo simul, servatis servandis quoad inclinationes. Ad Orationes Commemorationum, Chorus stat erectus facie conversa ad Altare; ad nomen Sancti caput, et ad conclusionem ultimae Orationis sese profunde inclinat usque ad *Per omnia saecula* etc. exclusive.

201. Suffragia Sanctorum dicuntur demissa voce stando et facie ad Altare conversa; nisi dictae sint Preces feriales, quia tunc dicuntur flexis genibus.

202. Ad Preces feriales, quae iuxta Rubricam Breviarii XXXIV, n. 3, dicuntur tantum in Feriis Adventus et Quadragesimae, quatuor Temporum, et Vigiliarum quae ieiunantur (exceptis Vigilia Nativitatis Domini, ac



Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes) omnes genua flectunt a *Kyrie eleison* usque ad *Benedicamus Domino* post ultimam Orationem, excepto Hebdomadario, qui surgit ad *Dominus vobiscum* ante primam Orationem, quam dicit altiori voce et stat usque ad finem. Primus autem Acolythus surgit ad dicendas Antiphonas Commemorationum cum suis Versiculis, si quae sint faciendae, et iterum genuflectit ipsis expletis.

203. Quoties dicuntur Preces feriales, toties Suffragiis Sanctorum praemittitur Commemoratio de Cruce.

204. Post *Pater noster* in fine Laudum, quod secreto ab omnibus dicitur facie ad invicem conversa et profunde inclinatis, Hebdomadarius voce clara dicit: *Dominus det nobis suam pacem*; interim Chorales se erigant, et ad Altare se vertant respondendo: *Et vitam aeternam. Amen*; quo dicto manibus iunctis recitant Antiphonam finalem B. M. V., stando vel flectendo iuxta temporum varietatem.

205. Dicta ab Hebdomadario Oratione et *Divinum auxilium* etc., ab omnibus simul recitatur *Sacrosanctae*, qua oratione Matutinum concluditur.

## § II. — De Horis parvis.

206. Prima, dato vel datis signis, incipit cum *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo* secreto, et *Deus in adiutorium meum intende* etc. ab Hebdomadario alta voce pronuntiato. Postea sequuntur, dicto *Alleluia* vel *Laus tibi Domine* etc., Hymnus ac Psalmi; Antiphona, quae ante primum Psalmum tantummodo intonatur, post ultimum Psalmum integre recitatur.

207. Dicto ab Hebdomadario Capitulo et ab Acolythis et Choro alternatim Responsorio brevi, dicitur ab Hebdomadario Oratio *Domine Deus omnipotens*, nisi dicendae sint Preces: tunc dicto Versiculo post R). breve, Hebdomadarius subiungit *Kyrie eleison* etc., *Pater noster*, *Et ne nos inducas* etc., *Credo*, *Carnis resurrectionem*, ac reliqua ut in Breviario habentur. Facta more solito Confessione tam ab Hebdomadario quam a Choro, et expletis subsequentibus Versiculis, dicitur *Oremus: Domine Deus omnipotens* etc.

208. Preces feriales dicuntur flexis genibus, ut supra n. 202 ad Laudes, diebus ibi assignatis.

209. Post Orationem legitur Martyrologium, sub quo omnes in Choro sedent, excepto Lectore.

210. Lecto Martyrologio, dicuntur *Pretiosa*, *Sancta Maria*, et reliqua ut in Breviario; post Orationem *Dirigere et sanctificare* etc., primus Acolythus dicit *Iube domne benedicere* profunde inclinatus versus Hebdomadarium manibusque iunctis, et obtenta benedictione legit Lectionem brevem, quae nisi Officium sit de Dominica seu de Feria, semper est Capitulum Nonae; in fine Lectionis adiungit *Tu autem Domine miserere nobis*, cui Chorus respondet *Deo gratias*.

211. Post Lectionem brevem dicuntur *Ÿ. et R). Adiutorium nostrum* etc., *Benedicite* etc.; ac Prima denique concluditur ab Hebdomadario cum benedictione: *Dominus nos benedicat* etc., sub qua omnes ad invicem profunde inclinati se Crucis signo signant, Hebdomadario non excepto, qui tamen stat erectus manibusque iunctis. Et nisi sequatur Tertia, dicto *Pater noster* totum secreto, et *Dominus det nobis suam pacem* ab Hebdo-



madario etc., terminatur cum Antiphona finali B. M. V. more solito.

**212.** Si immediate post Primam sequatur Tertia, praemisso *Pater noster* et *Ave Maria* secreto, ac *Deus in adiutorium meum* etc., Hymno dicto, ab Acolytha intonatur Antiphona, sequuntur Psalmi, repetitio Antiphonae in fine Psalmorum; ab Hebdomadario, dicto Capitulo, pronuntiatur Responsorium breve ab Acolythis et Choro alternatim, dicitur Oratio, ad quam omnes ad invicem profunde inclinantur. Adiuncto dein *Dominus vobiscum*, *Benedicamus Domino* et *Fidelium animae* etc., Hora concluditur.

**213.** Eodem modo hora consueta dicuntur Sexta et Nona.

**214.** Si dicendae sint Preces, dicuntur flexis genibus et quidem immediate dicto Versiculo post Responsorium breve dictarum trium Horarum, incipiendo cum *Kyrie eleison*, stante solo Hebdomadario ad Orationem. Vide num. 153.

**215.** In fine Tertiae, resp. Sextae et Nonae, dicuntur Antiphona finalis B. M. V. et *Sacrosanctae*, nisi immediate sequatur Missa conventualis.

### § III. — De lectione Martyrologii facienda ad Primam.

**216.** Martyrologium (cuius lectio, excepto Triduo Mortis Christi, in Choro est praeceptiva) semper legendum est, prout iacet, licet festa inibi descripta alio die celebrari contigerit.

**217.** Verum eadem festa et alia quaecumque etiam per accidens translata, necnon Officia votiva pridie

quam celebrentur annuntianda sunt, et quidem primo loco, nisi alicuius Vigiliae mentio fieri debeat; quae semper praeponitur lectioni Officii sequenti die peragendi <sup>1</sup>.

**218.** Anticipata Vigilia in Sabbatum, quoad Officium et ieiunium, non anticipatur tamen Vigiliae lectio in Martyrologio.

**219.** Officium feriale in Martyrologio non annuntiat, exceptis Feria IV Cinerum et Feria V in Coena Domini; nec Dominicae cuiusquam Officium, exceptis Dominicis Septuagesimae et Palmarum; nec Officium dierum infra Octavas quascumque <sup>2</sup>.

**220.** Festa vero per accidens translata, pridie quam celebrentur, annuntiantur his verbis: *Officium Sancti* (vel *Beati*) *N. cuius festum fuit die.....*

**221.** Item, quamvis in Martyrologio non sint inscriptae, annuntiari possunt Vigiliae Ascensionis Domini et Pentecostes.

**222.** Demum Sancti (aut Beati), quorum in Martyrologio mentio desit, ratione Officii, quod de illis per Indultum Apostolicum peragendum est, debent paucis verbis commemorari, ita tamen, ut proprio cuiusque nomini, necnon qualitati scilicet Martyris, Episcopi, Confessoris, Abbatis, Virginis vel Viduae, nihil praeterea adiungatur, nisi praesto sit elogium a S. Sede approbatum.

**223.** In anno bissextili, die 25 Februarii leguntur in Martyrologio festa descripta sub eadem die 25, tanquam celebranda die 26, ac ita porro usque ad finem

<sup>1</sup> Rubric. Martyrol.; et S. Rit. C. 8 Aug. 1835, in una Ord. nostri: ac 7 Decemb. 1844, in Mechlinien. ad 10.

<sup>2</sup> Cavalieri, t. 2. d. 328, n. XI.



mensis. Festorum quippe, quae in anno communi occurrunt vel fixa sunt (quando quidem fixe translata ad certam diem ob perpetuum impedimentum, fictione iuris aequiparantur occurrentibus) diebus 24, 25, 26, 27 et 28: anno bissextili proprii habendi sunt dies 25, 26, 27, 28 et 29<sup>1</sup>.

224. In Choro, dum Lector Martyrologii annuntiat diem mensis (vulgo Calendas) et quota sit Luna die sequenti, non est standum, sed iuxta praxim Ecclesiae universalis, dicto ad Primam *Ÿ. Benedicamus Domino* et *R). Deo gratias*, Lector Martyrologii paulisper expectat donec Chorales assideant, deinde stans annuntiat Calendas et Lunam pro die sequenti, ac caetera sine mora prosequitur.

225. Excipiuntur tamen ab hac regula Dominica Resurrectionis ac Vigilia Nativitatis Domini (Vid. n. 88), nec non (iuxta laudabilem Ordinis consuetudinem) Vigiliae Solemnitatum Domini ac B. M. V. primae classis, ac S. P. N. Francisci: in quibus, dicto *Deo gratias*, ut supra, Lector statim incipit lectionem Martyrologii, stantibus omnibus donec elogium sequentis festivitatis annuntiatum sit, deinde pausat aliquantulum, ut Chorales assideant, postea lectionem prosequitur.

226. Completa lectione Martyrologii, Acolythus semper subdit: *Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum atque sanctarum Virginum;* respondente Choro *Deo gratias*.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 1 Martii 1861, in una Canon. Regular. Lateran. ad 6.

§ IV. — *De Vesperis et Completorio.*

227. In Vesperis, quae dicuntur post prandium, si tempus quadragesimale excipias, omnia servanda veniunt, quae supra de Laudibus dicta sunt.

228. Si immediate post Vesperas dicendum sit Completorium, tunc dicto *Fidelium animae* etc. Vesperarum, Acolythus dicit *Iube domne benedicere* more solito, etc. Si vero Completorium a Vesperis separetur, tunc praemissis duobus campanae signis, primus Acolythus, postquam omnes, dato signo a Superiore, surrexerint, ad legile accedit, et profunde inclinatus versus Hebdomadarium petit benedictionem dicendo *Iube domne benedicere*, postea subiungit Lectionem brevem *Fratres sobrii estote* etc. Deinde fit Confessio tam ab Hebdomadario quam a Choro more solito.

229. Facta absolute, Hebdomadarius se signans in pectore dicit *Converte nos* etc., et *Deus in adiutorium meum intende*, se signans a fronte ad pectus et humeros; et responso a Choro eodem modo se signante, ab omnibus simul dicitur *Gloria Patri* etc. servatis debitis inclinationibus; quo dicto et ab Acolytho adiuncta Antiphona *Miserere* vel *Alleluia*, a Choro alternatim recitantur Psalmi, incipiente Superiore primi Chori. In fine ultimi Psalmi ab omnibus simul repetitur Antiphona *Miserere mihi*, vel tempore paschali *Alleluia*; dein alternatim dicitur Hymnus.

230. Capitulum dicitur ab Hebdomadario, respondente Choro *Deo gratias*.

231. Dicto Responsorio brevi cum suo Versiculo ab Acolythis, respondente Choro, primus Acolythus



praecinit Antiphonam *Salva nos*, et dicitur Canticum Simeonis; ac dicto *Gloria Patri*, omnes de Choro simul integram repetunt Antiphonam, quam subsequuntur Preces, si dicendae sunt, iuxta ritum Officii; et dictis ab Hebdomadario Oratione *Visita, Dominus vobiscum, Benedicamus* et *Benedicat et custodiat nos* etc., immediate recitatur Antiphona finalis B. M. V. iuxta tempus, et responso *Amen* a Choro post *Divinum auxilium*, dicuntur secreto *Pater, Ave* et *Credo*.

232. Officium diei concluditur ordinarie cum oratione *Sacrosanctae*. Vid. exceptionem, n. 283.

#### CAPUT IV.

##### DE ALIIS OFFICIIS IN CHORO RECITARI SOLITIS.

##### § I. — De Officio parvo B. Mariae Virginis.

233. Officium parvum, quod extra Chorum non est de praecepto <sup>1</sup>, ex Rubricarum praescriptione fit quoties Officium peragitur trium Lectionum.

234. Excipiuntur Pervigilium Nativitatis Domini, Hebdomada maior, tota Octava Paschae et Pentecostes. Hisce diebus omittitur a primis Vesperis; in Vigilia autem Nativitatis a Matutino.

235. Ritus in Choro circa hoc Officium est ut in Officio de Feria, id est Invitatorium, Ps. *Venite exultemus*, et Versiculi dicuntur a solo primo Acolyto. An-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 2 Septemb. 1741.

tiphonae ante Psalmos solummodo inchoantur, post Psalmos vero a Choro integre repetuntur.

236. Absolutiones, Benedictiones, Capitula et Orationes dicuntur ab Hebdomadario, Lectiones ab Acolyto. Choro sedente, Responsorialia alternantur ab utroque Choro.

237. Vesperae et Matutinum cum Laudibus Officio diei praeposuntur hoc modo: dicto *Pater noster* et *Ave*, dicuntur Vesperae B. M. V.; dictoque *Benedicamus Domino*, immediate incipiuntur Vesperae diei. Similiter dicto *Pater noster, Ave* et *Credo*, dicuntur Matutinum ac Laudes Officii parvi; et dicto *Benedicamus Domino*, incipit item immediate Matutinum diei.

238. Prima parvi Officii dicitur post *Benedicamus Domino* Primae diei, et post *Benedicamus Domino* parvi Officii legitur Martyrologium ac dicuntur reliqua, ut in Breviario.

239. Tertia, Sexta et Nona Officii parvi pariter dicuntur immediate post *Benedicamus Domino* Horarum diurnarum.

240. Idem valet de Completorio, si dicendum est. Tunc post *Benedicamus Domino* Officii parvi, subiungitur *Benedicat et custodiat nos* etc. Officii diurni.

241. Tempore paschali in Officio parvo non additur *Alleluia* Antiphonis, neque Versibus neque Responsorialibus <sup>1</sup>, sed recitantur prout iacent in Breviario, si illa tantum excipias, quorum mutatio in Officii eiusdem Rubricis praecipitur.

<sup>1</sup> Rubr. gener. t. 37, n. 2: et pecul. n. 239; ac S. Rit. C. 26 Aug. 1752, in una Gadicensi. ad 2.